

www.e-rara.ch

**Lindenius renovatus sive Johannis Antonidæ Van der Linden de
scriptis medicis libri duo**

**Linden, Johannes Antonides van der
Norimbergæ, Anno Christi M. DC. LXXXVI. [1686]**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-51191>

[Praefatio.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

GEORG. ABRAHAM. MERCKLINI

PRÆFATIO

in

CYNOSURAM MEDICAM,

sive, de

SCRIPTIS MEDICIS

Librum II.

ad

Lectorem benevolum.



Alterum sistimus Librum, sive, secundum, eumq;
omnino novum, & hâc novissimâ demum editione
primùm adornatum, adeoq; diversissimum ab illo Lin-
denii.

Lindenius enim secundo Libro suo Syllabum præci-
puorum duntaxat Capitum & notabiliorum Titulorum,
sive, generalium Classium & Partitionum Universæ Medicinæ comple-
ctitur, nullo penè, vel saltem non nisi Systematico communi servato or-
dine; quo factum, ut, dum Medicina aliâ atq; aliâ Methodo proponi
hodie solet, fastidiosâ propemodum curâ desideratos Titulos perqui-
rere necessè fuerit, eosq; difficilimè invenire licuerit.

Nos verò secundo Libro comprehendimus Rerum & Materiarum
Med. in primum hujus Operis Librum, Indicem locupletissimum; quo
omnium Titulorum vel Thematum Loca Communia, cum appensis
suis Authoribus & paginarum numeris, quibus illorum citata Scripta
respondent, Alphabetico ordine adeo luculenter indigitamus, ut hâc
quasi Cynosurâ, & prælucente face, uno intuitu in oculos incurrat res, de
qua scire allubescit, qui Authores, & quo Scripto, datâ operâ & ex pro-
fesso eam pertractarint.

Hunc Laborem quantâ patientiâ sustinuerimus, is facillè credet æquus æstimator, qui similem ipse obivit. Certè non semel cœpti me poenituisse, calamumq; abjecissem, & telum pertexere destituissem, nisi Amici subinde calcar addidissent, subsidiariam opem nonnulli eorum aliquantulum præstitissent, & Typographus promissum servare urfisset.

Nam non mihi fatis fuit, Scripti generalem Titulum sub communem suum locum redegissem, sed & ad speciales progressum feci. Unde v. g. Dan. Sennerti Libros Medicinæ Practicæ, non tantum ad generalem Titulum Praxis Med. retuli, sed & in iis contentos speciales Tractatus, ut: Arthriticid. Scorbut. Dysenter. Febr. &c. specialibus Titulis suisque locis inferui.

Et quia pleriq; Authores in frontispiciis Scriptorum suorum non generaliter tantum eorum præcipua argumenta intimant, sed etiam plerumq; potissima in iis pertractata Themata recensere, ipsoq; Titulo indicare solent; hinc etiam nos sæpe sæpius totius Scripti præcipua argumenta ad communia sua Loca revocavimus, quod non tantum generalis Libri Titulus, sed & præcipua argumenta, ipsiq; Authores, de iis qui egerunt, justâ velut acie collocati, innotescant, & suis locis inveniri queant; quo factum, ut, quod asserere ausim, vix ullum sit Thema Medicum, sive generale, sive speciale, cujus unum atq; alterum Scriptorem, qui de eo egerit, hæc Cynosurâ suis locis non invenias nominatum.

Quin imo idem etiam observavimus ipsâ Titulorum locatione, quâ non solum e. g. sub Titulo Pestis illos Authores numeravimus, in genere qui de Peste scripserunt, sed & speciali Titulo e. g. Pestis Hamburgensis, Lipsiensis, Londinensis, illos etiâ subjecimus, qui particulares illas Pestes descripserunt; quod quidem non ita intelligendum, ac si hi, qui particulares illas Pestes commentati sunt, de Peste in genere nihil scripsissent, nec, ac si illi Authores, qui stant sub generali Titulo Pestis, non æque Pestis Contagiû, Divinationem, Præfervationem &c. descripsissent, ac illi, qui sub Titulis lateralibus allegantur; sed tantum, ut sciat, illa specialia Themata commemoratos sub iis Authores specialiter datâque operâ præ aliis, pertractasse. Unde etiam, quod non inficiendum, factum, ut sæpe unus idemque Author bis, ter, quaterve sub generali & specialibus Titulis positus reperiat; id quod tamè nemo bonus malè interpretabi-

tabitur. Atque idem, quod Titulo Pestis, exempli loco, monui, de aliis etiam similitatione intellectum volo.

Nec sine præmonitione omittendum, foecundis aliàs licèt quibusdam Titulis v. g. Apoplex. Epileps. Phthis. Febr. tertian &c. tamen paucos tantummodo Authores annumeratos deprehendi; id quod iterum non ita accipivelim, ac si nullus alius Author de iis ullibi egisset (egerunt enim utique plures de iis Thematibus in suis Libris Practicis aut alibi uno alterove Capite) sed tantum, quod præter citatos nemo Medicorum peculiari Tractatu illa Themata comprehenderit, vel, quod nulli alii Authores illa in Librorum suorum frontispiciis commemorarent.

Hoc amplius sedulò cavimus, ne, Titulis idem licèt sonantibus pluribus efformatis, tamen non singulis Authores annecterentur. Quocirca sæpe duos, tres, quatuorve diversum quid, quoad verba, idem autè quoad sensum, sonantes, ad unum restrinximus, interque eos non nisi notiori, & Locum communem sustinenti Authores apposuimus, ne in majorem molem excresceret Opus, neve entia præter necessitatem multiplicarentur, cum adverso Lectoris fastidio, & inutili chartæ profusione.

Deinde quòd illos concernit Titulos, qui ad Scientiam naturalem aliasve Disciplinas potiùs, quàm Medicinam pertinere videntur, ut: Anima: Aer: Aucupium: Naturales res: Vacuum &c. sciendum, nos illos ideo noluisse omittere, cum quòd illi Authores allegati de iis scripserint, qui ipsi fuere Medici, tum quòd in Libris Medicis de iis agatur, & quod potissimum est, dicta Themata subinde nonnihil sapiant Medici; ut taceam, unâ fidiâ duos sic commodè à nobis potuisse dealbari parietes.

Quandoquidem sperandum, nos hac viâ non tantum Medicorum, sed & Physicorum aliorumque fortè Musarum Filiis aliquantis per esse profuturos, qui eo suaviores inde carpent fructus, quòd rectiùs suis usibus adhibere, inque succum & sanguinem convertere studebunt; quando vel Librum edere, vel Disputationem conscribere, vel Consilium scriptum ferre, vel saltem de hac vel illa materia ex professo agentem Authorem, variis usibus, legere satagent.

❦ ❦ ❦ ❦ ❦ ❦ ❦ ❦ ❦ ❦ ❦

Ut enim qui Domum ædificare allaborat, dimidium penè Operis habet, si, unde ligna, lapides, aliamque necessariam materiam desumat, sciverit; ita facilius simul ac felicius laborabit confecturus vel Librum vel Disputationem, si eorum Authorum habuerit cognitionem, qui de illa scripserint materia, quam sibi pertractandam proposuit.

Nequid dicam de singularis eruditionis opinione, quam nobis Scriptorum notitiâ apud Literatum hominum genus conciliare solemus.

Et quamvis præsens Opus nec curiosâ subtilitate, nec gratâ rei novitate se commendet; commendabit se tamen aliquantum, ut confidamus, non spernendâ doctrinæ utilitate, studiosâque Studia Medica juvandi voluntate.

Neque enim nos latet, simile propemodum jam ante nos quidem in publicum emisisse Moronum cum Scheffero, nec non Waltherum, atque Lipenium: nec tamen propterea nos actum egisse deputabimur, certi, & nostrum ab illorum studio plurimum, ut factâ collatione facile præbit, differre, & tantundem, si non plus, emolumentum pariturum esse.

Fortassis olim plenius prodibit, atq; ita quidem, ut non solum, qui Authores ex professo, & peculiaribus Tractatibus, sed & , quo loco alii etiam, præter citatos, uno tantum atque altero Capite, de quacunque materia scripserint, indicetur, si cum Deo, vitam, valetudinem, atque necessarium otium, per continuam Praxin, polliceri nobis liceret.

Interea hoc utere mecum, Benevole Lector! & , si quæ irrepère errata, atque hallucinationes, quas ne oculatissimus quidem Argus, simili præsertim in re, omnino declinare posset, benè interpretare, ipseque corrige, emenda, ac vale!

